

propagationis non solum augebitur, sed idem oblique incidens a pristina via secedere et ad perpendicularem, a puncto incidentiae in diaphanum demissam, tam in introitu, quam in exitu ex hoc, et in transitu in diaphanum rarius, propius accedere debet. Radius vero in transitu in diaphanum rarius, accedendo ad perpendiculum, in diaphanum densius demissum, a perpendiculo in diaphanum rarius demissum magis remouebitur. Haec radii a pristina via digressio *refractio* audit.

11. Si singulis particulis vndae luminosae eadem fuerit magnitudo, densitas et elasticitas, (respectu celeritatis restitutionis,) atque si eisdem per totam vndae latitudinem aequalis ubique celeritas oscillationis a fonte lucis fuerit impressa, radius, quocunque licet modo refractus, non aliam tamen mutationem praeterea subire poterit, nisi, vt vel magis concentretur, vel magis diffundatur, vel eandem intensitatem fere retineat. Visus itaque inde non nisi fortius, vel debilius, vel aequaliter afficietur. Quodsi vero particulae vndae luminosae aut inter se differant, aut diuersam celeritatem undulationis a diuerso impetu particularum fontis lucidi acceperint, quaedam vndae fila ampliores, quaedam angustiores excursions faciendo vndas speciales in vnda generali excitabunt, quarum interualla inter se differunt. (Eiusmodi vndae minores in vndis maioribus quoque in fluctibus oceani obseruantur.) Haec itaque vndae generalis fila, diuersa celeritate vibrationis gaudentia, adeoque viribus attractivis diaphani plus vel minus obedientia, in prima quavis refractione in diaphano densiori a se inuicem separabuntur, ita, vt celerius oscillantes *minus*, lentius oscillantes *magis* ad perpendiculum accedant. In altera vero refractione separata radii vel vndae fila aut denuo congregantur, aut magis separantur, prout vis perpendicularis diaphani attrahentis
id